

1.

*Meditationes Nonnullæ*

*De*

*Lingvarum Hodiernarum*  
*Studio Scholis inferendo,*

---

Quas

*Conf. Ampl. Fac. Phil. Reg. Acad. Ab.*

*publico examini subjiciunt*

**JOHANNES SELANDER,**  
*Phil. Mag.*

Et

**ISAACUS FORSELL,**

*Stip. Reg., Satacundensis.*

*In Audit. Maj. die XXI. Junii MDCCXCI.*

*H. A. M. S.*

---

*Aboæ, Typis Freñckellianis.*

44



*Ex hoc tempore tam angusto, & rapido, & nos auferente, quid juvat majorem partem mittere invanum?*

SEN.





§. I.

**N**ihil est in tota rerum natura, quod tales subeat mutationes, quales lingvæ, quibus homines fecum invicem ideas & cogitata communicare factaque sua aliorumque referre & enarrare soleant. Namque hominibus inest natura vehemens quædam consortii celebrandi cupido, cujus vinculum ac quasi firmamentum est facultas loquendi, nostro generi propria. Ejus etiam ope societates inierunt; quæ etiam ut salvæ manere queant, atque sic homines alii aliorum auxilio frui & de salute labore communi creata atque promota sibi mutuo gratulari possint, alios quoque aliorum lingvam, qua animi sensa exprimantur, intelligere oportet. Verum non intra unam civitatem solum continetur excellens articulati, quem mortalibus summe beneficum Numen concessit, sermonis usus; exundat idem longe lateque ac ad externos quoque populos per orbem universum serpit & pro literarum scientiarumque exercito inter eos commercio, & incitante maxime, cujus gravissimam vim conspiciere ubivis licet, lucri cupidine. Sunt cuique genti

A

sua



fua inventa, fui mores proprii, quorum scientia reli-  
 quas haud parum beet. Alia scilicet his literis atque  
 scientiis, alia illis eminuit, alia hoc quæstus atque  
 vitæ genere, alia illo. Commertium igitur populos  
 inter semper est utilissimum, magis tamen minusve  
 necessarium & pro majori minorive eorum cultura,  
 & pro industria, & pro distantia, & pro communi  
 aut diversa quæstuum indole, unde & lingvarum,  
 quarum ope idem exerceatur, notitia nobis magis  
 minusve utilis ac necessaria est (a). Sunt vero artes  
 & scientiæ nostris jam temporibus imprimis in Ger-  
 mania, Anglia & Gallia cultæ & tractatæ; eademque  
 præterea regiones adeo in media terræ nostræ parte  
 politiore sitæ, ut iis nobiscum multum familiaritatis  
 intercedat, necesse sit; quo fit, ut lingvæ etiam ibi-  
 dem florentes sint nobis maxime utiles & necessariæ.  
 Ne itaque desit lingvarum amatoribus & studiosis  
 occasio se in eis addiscendis exercendi; maximi omni-  
 no est momenti, ut eæ publice doceantur & discan-  
 tur. Nec modo qui ad agriculturam, commercia,  
 res militares & forenses animum attendunt eisque ur-  
 gendis delectantur, laudatis lingvis opus habent, ve-  
 rum etiam, qui sacris se offerunt, qui munera schola-  
 stica

---

(a) Unde etiam multos unius per totum universum  
 lingvæ usum optasse nos haud fugit, quanquam ta-  
 men diversitatem lingvarum nostri generis saluti es-  
 se longe aptiorem, sapientiam divinam venerati,  
 contendamus.



ffica adeunt quique musis totam dicant vitam, his carere nequeunt. Quod quidem ad linguam Gallicam attinet, omnes, qui vel minime literas tetigere, ejus usum probe sciunt, tam in aliis cognitionis humanæ partibus, quam inprimis in artibus literisque discendis humanioribus & in historicis conspicuum. Nolo jam longam usum, inde parandorum & cuique fere patentium, seriem percurrere, unica observatiuncula contentus, qua evincatur hujus lingvæ peritia nobis etiam opus esse, ut nostrates loquentes intelligamus: Leges enim nostræ, edicta & statuta publica inprimis oeconomica, e suggestu vulganda, novarum rerum ephemerides, epistolæ, verbo, omnia ferme scripta in vita communi obvia, vocabulis & loquendi modis Gallicis referta esse solent; quæ igitur probe intelligere nequeas, nisi Gallice scias: Ne quid dicam de gustu præsentis ævi, quo nimium quantum ad amorem ejus lingvæ etiam quotidiano sermoni inferendæ fertur (b).

A 2

Ger-

---

(b) Regeret aliquis, in eo potius bonum unumquemque civem suam operam collocare debere, ut hic patriæ lingvæ quasi contemptus tollatur, quam ut exteræ cujusdam studio extendendo atque sublevando, forte adaugeatur. Sed quis nescit, innumeris semper difficultatibus premi opinionum præjudicatarum vulgo evellendarum negotium? Neque excolendæ vernaculæ laborem segnem Sveci impenderunt. Neque qui Gallicam callet, Svecanam necessario despiciere ideo putandus est, cui minores haudquaquam veneres, aut forsan majores sint tribuendæ, quam



Germanicæ & Anglicæ usum maximum equidem & amplissimum, quem nemo gnarus in dubium vocet, mihi jam demonstrandum non sumo; Quod vero hujus studium commendet, est quod familiaritatem ejus quandam ante acquisivisse solemus, quam ad eam delibandam serio accedamus: nimirum, præter vernaculam, e Latina, Germanica & Gallica, partim est quasi confarcinata, partim cum iis omnibus affinitate juncta, adeoque quæ mediocriter discatur, multo facillima. Quæ igitur tres lingvæ, quarum ab omnibus, quibus pote sit civibus honoriorum ordinum discendarum necessitatem ratam habeo, in scholis potius publicis inferioribus, quam in superioribus seu Academiis doceri debere mihi diu sunt visæ; quod judicium, quibus superstruxerim rationibus, speciminis ejusdam loco mihi exponere placuit, B. L. simul mite judicium expetenti.

§. II.

---

illi; vanitas quoque illa, quæ amplæ scientiæ jactatione exferitur, melius ignorantæ convenit, quam eruditioni, experientia multiplici hoc docente. Præterea nos de hodierno rerum statu, non de futuro aliquando aut possibili quodam loqui, notasse juvat. Qua igitur re mihi data, nemo varium peritiæ hujus usum negabit: Sic, ut exemplo utar, quis quæso risum tenebit, hominem verba Gallica phrasæque loco solenni perverse recitantem barbaraque voce quasi distortentem, audiens?



§. II.

Omnes generatim, imprimis cultiores & lautioris fortis homines, qui has lingvas ipsi notas sibi habent, iidem, ut liberi sui eis mature discendis exerceantur, jure solent optare. Quod autem sciunt has in scholis publicis non instillari, ideo multi nec liberos publica illa Gymnasia adire patiuntur (c); Sed privatos informatores his in lingvis versatos frustraneo sæpissime labore quærunt; nam inter literarum studiosos pluri- mi propter res tantum angustas domi sustentandæque vitæ causa institutionem liberorum suscipiunt, qui e

A 3

schol-

---

(c) Vel hinc mox magnum, ex omisso laudato nostro in Scholis studio fluens incommodum patet. Nimirum huic rei non ultimus est adscribendus locus inter causas, ob quas parva admodum minorique fere quotannis frequentia hodie ad Scholas publicas mittantur adolescentuli; nempe parentes, nobiliorum ac ditiorum mores fervili ingenio ubivis imitati, prolem carissimam sordido scilicet scholastico pulvere inquinari nolunt, eoque efficiunt facto, ut pueri & sæpissime minus solida eruditione imbuantur, & deficiente æmulatione honesta, tardius discant, & educatione illa, ad vitam socialem maturiore ætate pie modesteque degendam necessaria, quam frustra fere nisi ab æqualibus ac condiscipulis expetas, destituantur. Quod vero argumentum indicasse sufficiet, quum antea evidenter jam complures viri doctissimi majus esse pretium publicis sapientiæ officinis, quam privatis institutionibus, statuendum comprobarunt.



scholis, ubi nostræ non traduntur lingvæ, nuper egressi, neque eas sibi familiares habent. Ditiorem vero parentum filii nobiliorisque generis juvenes, quibus facultas, eas in Academiis sumptibus amplis impensis, discendi non desit, ægre omnino & raro tantam (quanta revera informatio ingeniorum infantilium recte instituta est) molem & tanta suorum studiorum impedimenta subire volunt. Quod si quando fiat, tantam laboris postulant mercedem, quantam ipsis tribuere pauci omnino valeant. Adeoque tandem rariores sunt adolescentes, quibus adeo felicibus esse contingat, ut probabilem earum lingvarum peritiam sibi parare possint.

Plerumque enim fit, ut juvenes humiliore sorte nati paupertateque pressi, qui tamen ob scholarum publicarum defectus privatis cupiunt uti informatoribus docentibusque, diu non valeant doctori solvenda solvere, adeoque nimium festinantes in numerum civium Academicorum ante pervenire gestiant, quam vix primis, quod dicitur, labiis lingvarum & scientiarum elementa gustaverint, aut constantiam vitæ & morum sibi compararint. Promotos sic præmature ad superiora subsellia ignaros rudesque studiosos objurgare mox incipiunt parentes, ne sibi molestiæ & gravationi domi maneant, quos videlicet jam ad officio quocunque fungendum idoneos putent. Per semestrem igitur spatium Academia forsitan frequentata tem-



temporeque illo, ut (proh dolor!) sæpe fit, non omni studiis optimis infumto, liberos plerumque educandi & informandi caussa alio digrediuntur. Male sic ipse institutus atque ignarus informator officium aggreditur administrandum, cujus nullam partem præstare valet. Cujus turpis initii quis potest esse alius finis, quam ut contemnatur docens & corrumpatur discens? Inde mox sequitur, at alio migrare cogatur miser informator, cui alius sæpe æque parum in literis aut minus etiam versatus substituitur; discentes vero maximum detrimentum capiunt. Nec multo melius res se habet, si magnum illorum numerum spectes, qui multo labore, propter res suas angustas parvamque supellectilem, tædiosam per scholas publicas viam calcaverunt. Memoria enim rebus & vocabulis minus sæpe pro futuro vitæ genere (ut nunc res sunt) utilibus onusta ad societatem Academicam accedunt, atque liberis instituendis, penuria pressi, vitæ sustentandæ subsidia quærere coguntur; pauca vero sciunt earum rerum, quæ parentibus opulentioribus arrident, unde sequitur, ut sæpe despiciantur, obscuram & miseram vivant vitam, fiant hypochondriaci aut dissoluti, incidant nonnunquam in desperationem & vitiorum errorumque silvam. Quæ efficiunt, ut conspiciantur Scholæ publicæ nimis vacuæ alumnis & scholaribus; unde fit, ut res publica minorem, quam par est, ex eis haurire queat utilitatem. Quacunque igitur parte rem scholasticam adspexeris, magnam videbis



bis patriam pati jacturam, ægre removendam, nisi id prospiciatur, ut publicis sumptibus in iis partibus, quas inprimis callere adolescentes necesse habeant, ac sine quibus civitati difficulter prodesse sibi que ipsi consulere possint, gratis pueri erudiantur.

§. III.

Haud parum quoque studioso juveni parit molestiæ & tædii, si tum demum in elementis grammaticis exerceri incipiat, quum jam civitati Academicæ fit inscriptus. Quam rationem reddere queas, cur tam tardi in lingvis discendis progressus vulgo fiant, immo, cur illæ sæpe in perpetuum & penitus negligantur? Qui vero laudatam superioris ordinis officinam literariam jam ingressi, tum demum avide & serio his incumbere incipiunt exercitationibus, earum discendarum causa, plures interim scientias utilissimas, collegia prælectionesque pulcherrimas & necessarias, prætermittere necesse habent. Magnum itaque damnum & multiplex scientiarum jactura eos semper manet, qui prima lingvarum jam usitatorum elementa in scholis negligere & omittere coguntur: nec Academicæ nostræ eum in finem sunt conditæ, ut in iis prima literarum fundamenta jaciantur; sed ut his jam positis ipsa velut ædificia erigantur. Eos prorsus filebo, quos Academies invisere inexorabilis prohibet egestas, quos igitur perpetuæ immerfos manere



nere utilissimarum lingvarum ignorantiae praesens rerum conditio jubet. Quod ad illos attinet, qui proprio Marte huic manum admovent operi, quando ipsi jam munere informatorio inprimis ruri funguntur, vereor ne, priusquam tantam quasi consuetudinem cum illis junxerint, quanta suffectura sit docentis muneri rite obeundo, provida futuri cura adaecti, spartam hanc aliis, in studiis lingvarum non versatioribus, relinquunt. Largiatur tandem mihi quivis necesse est, qui vel modica animi attentione puerorum ingenia examinaverit, eadem lingvis dicendis esse aptissima. Etenim praeterquam quod hi memoria gaudent tenacissima, cujus maxime hoc in negotio summa est vis, quodque ipsorum organa locutoria magis sint flexilia ac ad pronunciandos peregrinarum lingvarum sonos idonea, diuturno videlicet non adhuc usu ad unius generis voces proferendas assveta ac quasi retorta; eos etiam magis delectat lingvarum studium, quam adultiores, atque vel eam ob causam id illi aetati videtur commendandum, non huic reservandum. Avidissime vero ac perlibenter arripiunt earum lingvarum scientiam, quarum usus ipsis in conversatione sua familiari atque ludis, in epistolis, in libris suo captui accommodatis, historiolas, fabulas, carmina etiam commoda continentibus, in propatulo est; maximeque grato & laeto agnoscunt animo magistrorum curam, qua sibi facultatem esse paratam perspiciant suos progressus industriaeque fructus aliis ostentandi,

B

ver-



verba nempe phrasæque usitatorum lingvarum proferendo atque interpretando (*d*). Quæ omnia cum apprime lingvis, Gallicæ, Germanicæ atque Anglicæ convenient, quin etiam earum rudimenta, prima saltem, in Scholis publicis, ubi tenera adhuc sunt discipulorum ingenia, sint tradenda, extra dubitationis aleam esse positum videtur.

§. IV.

Poterit contra hæc aliquis obvertere, quod pueris, quorum singulæ ad certa variarum literarum capita legenda in Scholis horæ sint destinatæ, tantum non superfit temporis, quantum ad novos hos labores peragendos requiratur. Sed nec hujus mali medela difficilis mihi videtur obtentu, modo tota docendi methodus nostri ævi rationi convenientior instituitur. Ac primo quidem meæ haud repugnabit sententiæ, si numerus annorum a pueris in scholis publicis degendorum eo usque augeatur, ut iis sufficiat tempus

---

(*d*) Neminem offendet, quod sic puerorum ambitioni ablandiendum esse existimem. Scio hanc animi affectionem ex multorum sententia noxiam esse discipulis; quod neque de ea justos limites egressa negare sustineo. Verum certum tamen est, historia universa consentiente, honesta ambitione validius nullum acriusque, ut ad ardua quæcunque atque magna, sic ad progressus in literis faciendos, incitamentum reperiri posse.



pus lingvarum nostrarum quandam sibi notitiam comparandi; nec forte eosdem juvenes poenitebit scholas aliquanto diutius frequentasse, modo ibi res didicerint utiles atque necessarias, morumque probitatem ac quandam constantiam sibi acquisierint, qua suffulti illecebras deinde Academicæ libertatis tutius superare possint. Deinde, quum fere dimidia tantum eorum pars, qui e scholis ad Academiæ proficiscuntur, sacris ordinibus initietur; & nihilo tamen minus omnes, qui stadium scholasticum percurreunt aut rectius perrepunt, multum temporis studiis impendere cogantur, e quibus nullum olim aut exiguum usum percipere possint, quique sic, florentissimæ suæ ætatis non redituræ partem perdidisse, sunt dicendi: Meo quidem judicio commode dispelci poterunt classium superiorum scholares in duos quasi choros, alterum eorum, quibus sacrorum ministerio se offerre animus est, alterum eorum, qui munera civilia ambire cupiunt; quo tandem facto cūque lectiones ad suos usus ac indigentias maxime accommodatas eligere licebit, earumque igitur minus utiles utilioribus sic locum cedent.

Sunt quoque inter scientias quædam, quas ad adultiorem ætatem, nimirum Academicam diligentiam, rejicere forsan conveniat, Logica e. g. f. Dialectica, cujus studiosum oportet instructum esse exercitatore quadam ideas abstrahendi promptitudine; de qua tamen re penes B. Lectorem judicium esto.

Cum



Cum demum juventuti ad Academias literarum studiis vacanti, optima ibidem sit facultas vires sibi a natura donatas atque propensiones constantiores experiundi, vitæque genus, ad quod sua quemque maxime trahit Minerva, eligendi, quo dein iis inprimis possint incumbere studiis, quæ suis ingeniis maxime convenient; summa sine dubio erit scholarum publicarum utilitas, si eædem ita Magistratus beneficio instituantur, ut juvenes emittere queant rerum scientia, in quocunque munere ab iis in posterum obeundo, utili ornatos, non inani quadam atque umbratili notitia quasi efflatos, cujus impensi laboris eos per omnem deinde vitam pœniteat.

